

Parochum expectare, ut resolutum fuit in S. R. C. 13. Jun. 1673. apud Ursaya T. 1. p. 2. d. 28. num. 34.

Hanc expectandi occasionem in tertia Ecclesia respicit Constitutio *Pretiosus*, etc. de qua supra, quae in §. 72. sic loquitur: *Parocho admonito, requisito, et intimato per Fratres, ac deum renuente accedere ad associandum Cadaver in Ecclesiam Fratrum praedictorum, vel eodem ultra statutam pro delatione Cadaveris horam per discretum tempus, quod numquam unam horam excedere possit, expectato, nec accedente, Fratres praedictos Cadaver illud, invito etiam ipso Parocho, levare, et ad eandem Ecclesiam tumulandum, ne Dei servitium minuatur, et ipsi contemnantur, recto quidem tramite, et via per eos eligenda deferre posse ac debere volumus, atque fancimus.*

Quando vero Capitulum Cathedralis in Funere intervenit, omnes cujuscumque Ordinis in Ecclesia Cathedrali conveniunt.

57 58 59 60 61 Superest ut de cereis, et eorum distributione aliquid dicamus. Non tantum pro eleemosyna dantur cerei, sed pro ritu, ut luceant. Numerus cereorum in Taxibus funeralibus cujuscumque Dioecesis praescribitur: ad Haeredes vero defuncti spectat determinare illorum pondus, nec Parochus potest illis legem ponere. Loquitur de Candelis Textus, et de Intortitiis: Sed notandum, quod candelae distribuuntur, intortitia vero accenduntur: Illae pro eleemosyna dantur, istae ut lumen praeserant, ex more antiquo efferendi mortuos noctu; quae consuetudo permansit, ut in omnibus funeribus etiam, quae interdum ducuntur, faces, seu candelae seu funalia, et cerei adhibeantur, Lavor, d. Tit. 2. cap. 3. n. 118. Hunc usum approbavit Conc. Trid. sess. 22. *Decr. de observ. etc.* Et haec lumina significant, Defunctos deduci tanquam Athletas quosdam devicto Saeculo; et accenduntur, non ad superstitionem, ut Gentiles faciebant, sed ad significandum Animas vivere, et defunctos esse Filios lucis, corporaque eorum resurrectura, Jo. Chrysost. *Hom. 4. in Ep. Hebraeos.*

62 63 Adsunt Haeretici, qui hunc usum Cereorum improbant, *Ex Conc. Eliberit. can. 34.* ubi statutum fuit, ne Cerei de die in Coemeteriis accenderentur, ne spiritus Defunctorum inquietarentur. Nihilominus dicit Lavor, *dict. l. n. 131.* talem prohibitionem non fuisse de Cereis; sed prohibitam fuisse illam caeremoniam, quae fiebat ex superstitione Gentilium, qui putabant, corpora mortuorum sentire aliquid commodi. Illo autem errore sopito, non est malum ut eadem caeremonia, ad alium tamen finem, scilicet ad significandum Animas vivere, et nostros Defunctos esse filios lucis, non vero tenebrarum. Illud autem, quod Patres in illo Concilio dixerunt, non esse inquietandos Spiritus Defunctorum, significare voluit, spiritus

illos re vera non inquietari, sed illis displicere hujusmodi errorem. Sicut et S. Ambros. l. 2. *epist. 8.* dixit, non deberi mortificari lacrymis Animam Sororis Defunctae, ut refert Bellarminus, l. 2. t. 2. c. 19. *de funeribus.* Quod si S. Ephraem Syrus vetuit, ne quisquam Cereum in exitu suo accenderet, hoc fuit ex magna, et incredibili humilitate, non vero ex contemptu pii, et laudabilis, non minus quam antiquissimi Ritus, Voss. in *Test. S. Ephraem.*

64 65 Praeter Candelas, et intortitia, distribuuntur etiam aliae Eleemosynae, et praecipue Panes Puellis mendicantibus interessentibus, et associantibus funus: pro quo Pane nullam frigidam significationem adducere volo, contentus, ut dicam, esse eleemosynam manualementem, et satis utilem Communitatibus mendicantium, qui Pane indigent ad manducandum quotidie.

66 Loco Panis, in aliquibus locis, defertur, praecedendo Cadavera, et in funere, frumentum in certa quantitate, de quo vide Ursaya, T. 4. d. 14. p. 1. num. 1. 2.

67 Notandum tamen, quod distributiones, tam Candelarum quam Intortitorum, et Panis, debet fieri tunc cum tota comitiva associantium Cadaver pervenerit ad locum, in quo adest Defunus.

68 69 Sequitur Processio ordinanda versus Ecclesiam illam, ad quam deferri debet Cadaver? Circa quam sciendum est, quod quando Defunctorum corpora sepulturae praebentur in Parochiis propriis, aut in aliis Ecclesiis Clericorum, aut Laicorum, vel Confraternitatum, seu in Oratoriis Parochiae subjectis, ad Parochos pertinet per quam viam funus incedere debeat, designare, aut standum erit juxta uniuscujusque Patriae consuetudinem: potest enim quandoque ad haeredes Defuncti spectare, ut ipsi declarent per quam viam procedendum sit, ut explicat Samuel- *de sepult. elect. contr. 5. concl. 7.*

70 71 Verum quando ad Ecclesiam Regularium corpus sepeliendum defertur, spectare ad ipsos Regulares declarare per quam viam funus duci debeat, declaravit S. C. *Ep. Reg. 22. Aprilis 1588. in una Bituntina;* licet secus videatur eandem S. C. declarasse, 3, Jun. 1594. *Episcopo Castellaneten.* cui scriptum fuit: Ad Curatum spectare declarare omnia necessaria usque ad januam Ecclesiae Regularium, Lavor, d. Tit. 2. c. 9. num. 116. et 117. Sed an in istis necessariis includatur assignatio vitae, per quam incedi debeat, non credo: ideoque standum esse duco declarationi emanatae in Bituntina superallegata. Certum tamen est, Parochus teneri associare Cadavera ad Ecclesias Regularium, etiam si sint extra Dioecesim, per allegat, ad Ursaya p. 2. d. 15. n. 10. et d. 28. a n. 19.

72 73 74 75 76 Quoniam vero de Laicorum confraternitatibus mentio fit in hoc Paragrapho, non incongruum iudico aliquid de hujusmodi piis Conventibus disserere. Istae

Confraternitates satis antiquam habent Institutionem: Polydorus Virgilius eas ab Apostolis cum Tertuliano derivatas affirmat, *Apologetic.* 39. Sed Baronius *sub. Ann.* 339. n. 72. a Magno Constantino ortum illarum ducit, qui, ut corpora Fidelium sepelirentur, corpus ex nongentis, et quinquaginta, diversorum Collegiorum, et Artium officinis, quod huic muneri mancipatum esset ad efferenda, atque curanda Defunctorum Cadavera, efformavit. Hos vero ad hoc opus delectos, voluit ab omnibus publicis muneribus esse immunes, et in vectigalibus liberos. Ex hac prima subinde ortum habuere aliae Confraternitates, praecipue in Germania per S. Bonifacium illius Regionis Apostolum anno 730. Aliae Romae, et prima quae Vexillum erexit, seu *Confallone*, illa est, quae instituta fuit a Clemente Papa IV. *Anno.* 1267. Vide Macri, *Hierolex. verb. Confrat.* Similiter S. Petrus Caelestinus alias Confraternitates erexit anno 1294. sed quia tractu temporis a recta pietatis via istae Confraternitates declinare coeperunt, adeo ut de illis dixerit Budaeus: *Hodie crapulones dici fortasse possunt ut qui plerumque epulandi magis, quam cultus Divini gratiae conveniunt.* Clemens Papa VIII. in Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a sede Apostolica*, sub die 25. Decembris 1604. omnes illas abolevit, et de novo, novis Constitutionibus, erigendas mandavit: quae vere institutae fuerunt ad exercenda misericordiae opera, ut notat Monacell. *t. 1. form.* 52. n. 2. atque ideo Saccum de tela induere debent, non Sericum, *Rota dec.* 93. num. 3. et *seqq. coram Arguel.* quia luxum. et vanitatem praesefert. Ultra quam quod in Ecclesiastica Hierarchia, istae Confraternitates nullam faciunt figuram, *Ursaya T. 3. p. 2. d. 23. num.* 55. *d. 17. num.* 4. et semper sine praejudicio jurium Parochialium eriguntur, *Mattheucc. Off. Eccl. c. 14. num.* 11.

77 78 79 80 Circa praecedentiam in Fugeribus, per verba illa *Praecedentibus, etc.* a nostro Textu indicatam, standum est consuetudini: nihilominus afferam ad hoc diversas probatorum Doctorum conclusiones, quae valde prodesse poterunt in similibus casibus. Et primo dicam, Praecedentiam in funere semper dandam esse Clero Saeculari supra Regulares, Clem VIII. in sua *Constit. incip. Decet Romanum, etc. sub die 20. Februa.* 1601. *Barbos. J. p. 1. c. 9. num.* 14. Secundo, praecedentiam inter ipsosmet Parochos, seu Curatos Ecclesiarum Parochialium, sive Saeculares sint, sive Regulares, dari secundum praerogativam Ecclesiarum, et non secundum praerogativam Regulae, S. R. C. *in una Asten.* *Barbos. ibid. num.* 12. Tertio, quoad praecedentiam unius Parochi, in cujus Parochia quis est mortuus respectu alterius Parochi Ecclesiae ad quam Defunctus sepeliendus effertur, extra optima dispositio *in Actis Eccl. Mediol. p. 2. tit. de Fun. ducen.* ubi sic legitur:

*Cum ex Parochia, cui Sacerdos saecularis praesit, mortuus effertur, ut in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit praefectus, vel contra: tunc utrique Parochi superpelliceo, et stola induti, pares progrediantur. Reliqui vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus Processionibus tenere consueverunt, non obstante quavis consuetudine, vel pactio-
ne.*

81 Quod dicitur de Regularibus, dicatur et de Confraternitatibus, et Puellis mendicantibus, juxta Ordinem antianitatis institutionis earum: et ita communiter in usu est tum Romae, tum in aliis Civitatibus. Quod si dissidia circa praecedentiam in actu hujus funebris Processionis nascerentur, ab Ordinariis avocari possunt, non retardata tamen Cadaveris sepultura, ita *Pignatell. T. 5. Cons.* 89. n. 64.

82 83 84 85 86 87 De Cruce noviter sermo fit in hoc Paragrapho: semper tamen intelligitur de parochiali, quia haec est simpliciter necessaria, et de jure nunquam omitti potest, sive sit aurea sive argentea, sive aerea sive lignea, ut supra dictum est. Caeterae enim seu Regularium, seu Confraternitatum, seu Orphanorum, et Puellarum mendicantium abusive veniunt, vel ex tolerantia, *Franc. de Funerib.* Circa quam Crucem Regularium sciendum est, in publicis Processionibus, et Funeribus, ab omnibus Regularibus familiis, Crucem deferri debere cum Pallio, seu Velo appenso, non autem nudam, prout defertur a Clero Saeculari, a quo contradistinguitur, mediante dicto Velo, seu signo, juxta Decretum S. R. C. relatum a Novar. *in Lucern. Regular. Verbo Crux. num.* 1. *Barbos. in summ. collect.* 234. num. 7. et *collect.* 642. num. 4. *Macri, Hierolex, Verbo Crux, circa medium,* ibi, *Regulares nudam Crucem in Processionibus ferre nequeunt, sed cum Velo quodam pendente, S. R. C. 14. Jan.* 1617. quae loquitur in durioribus terminis non Religiosorum mendicantium, sed Canonico-rum Regularum Lateranensium, ut videre est apud *Barbos. Collect.* 642. n. 4. *Gavant. in Breviar p. 1. tit. 19. lit. E. §. In Processionibus,* ubi sequentem adducit congruam rationem. *Ad indicandam subjectionem, et inferioritatem, respectu Cleri saecularis: eadem ratione, qua Baculo Abbatis appenditur Velum, seu Sudarium modo ejusdem, ad differentiam Baculi Episcopalis.* Idemque adnotatum legimus. *in Act. Eccl. Mediol. tit. de supellect. Eccles. l. 2. verb. de Baculo Pastor. vers. Horario;* atque hoc quotidie practicatur in Urbe, cujus solitum in Ecclesiasticis functionibus inservit pro regula in Universo Orbe: ex deduct. per *Rot. dec.* 469. n. 61. et *d.* 560. n. 2. et 3. *p. 16. Rec. et in Majoren. 2. Junii* 1708. *Piton. in Parerg. num.* 63. *ipi. Et praticare videmus in ipsa Urbe, quae in hac*

materia Ecclesiasticorum Rituum, Civitatibus inferioribus exemplar esse debet.

88 89 De Unica Cruce afferenda in Funerib. vide allegat ab Ursaya *T. 5. p. 2. d. 25. a n. 34.* Psalmi qui in Processione Funebris cantari debent, sunt jam infra in Rituali prascripti, et de illis suo loco dicemus. Modo dicendum est, praecipui in nostro Textu, ut vere cantentur. Communiter loquendo solent recitari sine cantu, et cum voce gravi, nec festinanter; sed si cantari velint, poterint in tono secundo Gregoriano decantari, qui tonus est caeteris lugubrior. S. Basilius *Orat. in Julian. de funere Constant.* haec ait: *Inter efferendum, luminaria, et cerei accensi deferebantur, et Psalmi modulis lugubribus et luctu permixti canebantur.* Cantantur itaque isti Psalmi in defunctorum Exequiis, ad agendas Deo gratias, ut illum, qui e vita decessit, jam a laboribus liberaverit, et metu mortis exemptum apud se habeat immarcessibili ornaturus corona. Habetur insuper ex *c. qui divina, c. ubicumque* 13. q. 2. quod Sanctimonialia, dum Defuncti corpus efferebatur, psallere antiquitus, et cantus sonosque promere solent.

90 In hac Processione Parochus cunctos praecedat, ut docet Textus, verbis illis: *Parocho praecedente feretrum.* Quidquid disputent inter se circa praecedentiam tum Regularium, tum Confratrum, et aliorum associantium Cadaver, Sacrorum Canonum expositores, semper inconcussa, et incontrovertibilis remanet haec Parochi praecedentia, quia ipse est, qui Cadaveris Dominus, et Rector vocatur, Corsett. *Ind. Rational.* Atque ita, et taliter primum locum tenere debet, ut in illa Processione nulla alia Persona inter eum intercedat, et Feretrum cum Cadavere, donec suum jus circa illud perduret.

91 Rursus quando Textus dicit, *cum luminibus:* intelligi debet de intortitiis, quae circa Cadaver accenduntur, et a Confratribus, seu aliis associantibus deferuntur. Parochus enim de consuetudine neque Candelam, neque Intortium accensum in manibus habere debet.

EXEQUIARUM

ORDO.

TITULUS DECIMUS.

SUMMARIUM PRIMUM.

- 1 Comitantes funus multi esse possunt.
- 2 Ecclesiastici soli debent antecedere, non subsequi.
- 3 Qui sequuntur Feretrum nihil dicunt.
- 4 Astratti seu Piagnoni prohibiti.
- 5 Praeficae subsequentes funus prohibita.
- 6 Cadavera possunt deferri in curru nobili sine Cruce, et Parocho.
- 7 In Villis possunt deferri in Plaustro usque ad fores Ecclesiae.
- 8 Cadaver aspergi debet Aqua benedicta in domo.
- 9 Si adsit Capitulum, Aspersio spectat ad primam dignitatem.
- 10 Rationes hujus Aspersiois.
- 11 Psalmus *De profundis*, quare assignetur in Exequiis?
- 12 *Requiem aeternam* Versiculus, a quo institutus?
- 13 Cadaver affertur in Feretro.
- 14 Non omnes qui elevat Feretrum, illud portant.
- 15 Personae digniores illud primo elevat.
- 16 Ductor itineris in Processione funebri debet habere aliquam mercedem.
- 17 Psalmi cantari non debent cantu Gregoriano.
- 18 *Exultabunt Domino*, Antiphona praeliminaris Processioni.
- 19 Psalmi Graduales cur ita appellati?
- 20 Primi quinque dicuntur pro defunctis.
- 21 Alii quinque dicuntur pro nobis.
- 22 Postremi dicuntur pro omnibus fidelibus.
- 23 Omnes pro suffragio Defuncti recitantur.
- 24 Dicitur *Requiem aeternam dona ei*, non eis.
- 25 Cantu Gregoriano non canendi.
- 26 Musicus cantus in associatione Cadaverum prohibitus.
- 27 Campana sonat dum effertur Cadaver.
- 28 Campanae dicuntur Praedicatorum species.
- 29 Quare detur iste sonus?
- 30 Campana dignior denotat majorem dignitatem Defuncti.
- 31 Quando inchoari soleat sonus pro funere?
- 32 Parochus dare debet ultimum Vale Cadaveri.
- 33 Capitulum potest ingredi Ecclesias Regularium.
- 34 Absente Capitulo, Parochus nullum habet jus in Eccl. Regularium.
- 35 Ultimum Vale fit cum Aspersorio. Decr. de ferenda Stola et erigenda Cru-